




# PALAEESTRA LATINA



## S U M M A R I U M

- RMO. P. PHILIPPO MAROTO. (Actuaria)  
DE RECTA LINGuae LATINAe PRONUNTIATIONE.  
(Jové).  
DIVINUM SPIRITUM UT VOTIS FAVEAT PIIS ANI-  
MUS ADPRECATOR (D. Restrepo)  
CURSUS GYMNASTICUS, (H. Martija).  
NOVA ET VETERA, (E. Jové)  
PER ORBEM, (J. M. Jiménez).  
CONLOQUIA IN SCHOLA.  
EPISTULARUM COMMERCIO. (Avenarius)  
BIBLIOGRAPHIA, (J. Jiménez, J. Mir, R.  
Pastó, S. Riera, H. Martija.)  
AD POTUM, (J. Llobera) in operculis.  
EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.  
COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis

Ordinarii atque Superiorum permisso

# AD POSTUMUM

*Horatii carmen 14 l. II.*

*Eheu! fugaces, Postume, Postume,  
 Labuntur anni, nec pietas moram  
 Rugis et instanti senectae  
 Afferet indomitaque morti.  
 Non, si trecentis, quotquot eunt dies,  
 Amice, placet illacrimabilem  
 Plutona fauris, qui ter amplum  
 Geryonem Tityonque tristi  
 Compescit unda, scilicet omnibus,  
 Quicumque terrae munere vescimur,  
 Enaviganda, sive reges  
 Sive inopes erimus coloni,  
 Frustra cruento Marte carebimus  
 Fractisque rauci fluctibus Hadriæ;  
 Frusia per autumnos nocentem  
 Corporibus metuemus Austrum.  
 Visendus ater flumine languido  
 Cocytus errans et Danai genus  
 Infame damnatusque longi  
 Sisyphus Aeolides laboris.  
 Linquenda tellus et domus et placens  
 Uxor, neque harum, quas colis, arborum  
 Te praeter invisas cupressos  
 Úlla brevem dominum sequetur.  
 Absumet heres Caecuba dignior  
 Servata centum clavibus, et mero  
 Tinget pavimentum superbo  
 Pontificum potiore cenis.*

5

10

15

20

25

1 *Heu heu editores aliquot ex paucis libris, sed repugnantibus codd. fere omnibus.*

27 *Pro superbo Lambinus, Fea, Iahn., alii dederunt superbum. Haud facile dijudicari potest utra utri lectio anteferenda.*

*Hispane tralatum*

*¡Ay Póstumo! la vida  
 sin sentir se desliza apresurada:  
 ni la piedad detiene la venida  
 a las arrugas y vejez que acosa,  
 ni a la indómita muerte rigurosa.*

*No, Póstumo querido,  
 aunque con tres diarias hecatombes  
 apliques a Plutón empedernido,  
 que a Ticio con las aguas de tristeza  
 y de gerión oprime la grandeza  
 tres veces espantosa:  
 Que a cuantos hoy la tierra da sus dones  
 hemos de navegar la Estigia odiosa,  
 reyes seamos ya, ya labradores  
 sujetos de la vida a los rigores.*

*La ensangrentada guerra  
 en vano evitaremos y las olas  
 del Adriático mar, que en alta sierra  
 yérgense roncas; y en otoño en vano  
 huiremos ¡ay! el Abrego mal sano*

*Y del negro Cocito  
 ver las errantes perezosas aguas,  
 y de Dánao el linaje ver precito  
 nos es forzoso, y el trabajo eterno  
 de Sísifo, el Eolio en el Averno.*

*Hay que dejar muy presto  
 el campo y casa y placentera esposa;  
 sólo te seguirá el ciprés funesto  
 a tí dueño de un día, de entre cuantas  
 para en breve dejar cultivas plantas.*

*Y heredero más díno  
 agotará tu Cécubo guardado  
 con llaves ciento y del preciado vino  
 el suelo bañará, vino que apenas  
 puede gustarse en pontificias cenas.*


JOSEPHUS LLOBERA. S. J.



# PALAEASTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATITATE COMMENTARIUS

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pessetarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España



*Reverendissimo Patri Philippo Maroto  
Honoratissimo Viro  
Congregationis Cordis Mariae Filiorum  
Superiori Generali Nuper Electo  
Obsequentes Palaestrae Latinae Conscriptores  
Longos Vitae Annos  
Eosque Uberrimos Adprecamur.*

Rdmus. P. Philippus Maroto die 20 m. Maii anno 1875 natus est Garcillan in oppido Hispanico provinciae et dioecesis Segoviensis. Vota religiosa nuncupavit in Congregatione FF. Iti. Cordis Beatae Mariae Virginis die 25 m. Julii anno 1892 in qua post exactum meritissimis censuris curriculum sacerdotale sacro presbyteratus ordine auctus est in Conlego maximo Sti. Dominici Calceatensis die 13 m. Maii anno 1899.

Die 25 m. Octobris anno 1900 Romanum venit cum admodum Rdis. Patribus Postius et Arriandiaga ut in Universitate Ponificia studia juridica compleret. Laurea in utroque jure maxima cum laude donatus est m. Augusto anno 1903. Romae remansit ut Adm. Rdo. P. Procuratori Generali auxilieretur et paulo post in ipso Athenaeo Juridico Sti. Apolinaris docere incipiebat, quam cathedram usque ad hodiernum diem omnibus plaudentibus rexit.

Die 25 m. Maii anno 1912 cooptatus est in munus Procuratoris Generatis Congregationis nostrae et Postulatoris Causarum beatificationis.

Multas et praeclaras scripsit de re juridica quaestiones et varia opuscula in ephemeredibus sive Romanis ut «Commentario pro Religiosis» et «Apollinari» cet., sive in in exteris. Inter ejus opera praecipue eminent «Institutiones Juris Canonici ad normam Novi Codicis» quae in omnibus juris peritorum manibus versantur.

Decanus juris canonici Antecessor in Athenaeo Juridico Seminarii Romani, quam disciplinam annos plus quam triginta docuit, Consultor in confectione Codicis Juris Canonici, et nunc Consultor etiam SS. Coagregationum Sti. Officilli, Concilii et Religiosorum, ejus nominatio et electio in Supremum Rectorem totius Congregationis nostrae faustissimis auguriis ab omnibus exipitur.

ACTUARIA.

## De recta linguae Latinae pronuntiatione<sup>(1)</sup>

### Diphthongi ae oe, ai oi comparate pronuntiantur.

c) Ex facili substitutione diphthongorum *ai* et *ae*. Nihil dicam de adjectivo nomine *laicus* quod ex Graecis ad Latinos venit. Cum syllaba ejus prima eo tempore diphthongus fieret, quo jam deciderat lingua Latina, nusquam ea, ut debuerat, per *ae* scripta est, sed tantum per *ai*. Illud *ai*, quod prius non fuerat diphthongus, postea diphthongus in pronuntiatione evasit, adeo ut eodem modo atque *ae* apud vulgus evolutum sit in *e*, dum *ai* remanserit tantum apud doctos. Quae quidem est ratio cur nunc habeamus in nostra lingua duplex hoc vocabulum et *laico* peritorum et *lego* popularium. Alterum eorum genuinam diphthongi *ae* pronuntiationem repraesentat, alteram vero corruptam.

Cur etiam in nostra lingua civitatem obtinuit duplex adjectivum *gallego* et *galaico*? Quia veteres Latini hujusmodi vocabulum tam per *ae* scribebant (*Callaeci*), quam per *ai* (*Callaici*), quod signum evidens est parilis pronuntiationis. Illud non solum testatur sed exemplis probat Perinius in suo Onomastico: «*Callaeci, orum* (*Καλλαικοί*), scribitur aliquando et *Callaici* (*Καλαϊκι*)». Ex omnibus liceat Martialis exemplum promere, quia in eo ut in poëta, facile animadvertisit *ai* veram esse diphthongum:

*Quamvis Callaico rubeam generosa metallo*

*Glorior arte magis; nam Myos iste labor.* (XIV, 95)

Gratius Faliscus Ovidii Nasonis coaevus in poëmate Cyneticon nomine hoc habet:

*Callaecis lustratur equis scruposa Pyrene* (Cyneg., 514)

Si scriptura per *ai*, ex Graecanico more mutuata, in dicto vocabulo periisset, nullum aliud ad nos pervenisset adjectivum quam *gallego* ex nativa diphthongi *ae* transformatione. Cui autem rei tribuamus illius scriptio constantiam? Dissitae, opinor, illorum incolarum regioni ab Romanis et consequenter nationali eorum influxui non adeo obnoxiae, primaevum morem retinenti.

Vide nunc rem contrariam in adjectivo *Graecus* quod in ore erat omni populo Romano. Ex adjectivo *Graeco* per suffixum *-icus* derivat, sicut *Hispanicus* derivat ex *Hispano*. Nos dicimus tantum griego ex scriptura *Graecus*, non *graico*, quamquam eodem modo

1) Confer num. Februarium p. 65 et sqq.



pronuntiabatur olim, cum veniret ex radicali *Graj*-et terminacione *-icus* (*Graj-icus*), cujum duplex *i* in unum coalescens mutatum est in *e* diphthongale, quod ita mos esset apud Romanos scribere diphthongos.

At nunc rem attingimus ad propositum maxime pertinentem. Quis unquam cogitaverit tot adjectiva in *aicus* exeuntia ex nominibus provenire cuius radicale per *ae* diphthongum terminaretur? Quomodo explicari poterit illa facilis transitio, nisi confiteamur diphthongum *ae* idem perpetuo sonuisse atque *ai*? Et mihi credito, bone lector, non unum atque alterum esse sed plura hujusmodi adjectiva, eaque ab optimis auctoribus usitata. Ex Cicerone decerpsti *Cyrinacum*, *Chaldaicum*, *Judaicum*, *Archatcum*; ex aliis auctoribus alia; neque praetereundum in *oi* *Troicus* ex Troja. Dicit quispiam: in his omnibus nulla est diphthongus. Age vero; primo tibi consentiam ut postea tu etiam mihi consentire cogeris. Exemplis probabo in illis adjективis *ai* et *oi* prima facie nullam esse diphthongum, sed ex illis syllabis longam esse priorem, posteriorem autem brevem.

Sic legimus apud Avitum Alcinum:

*Balthasarem namque hoc illi Chaldäica nomen*

et etiam:

*Bellorum veniat curas Hebräica plebes*

et rursum:

*Quando induratum plebes Judäica nomen;*

et Columella:

*Sed melior stacte potatur Archäica myrrha.*

Ut addam quoque versum ad negandam diphthongum *oi*, habemus ex Ovidio:

*Trōica qui profugis sacra vehis ratibus*

Sed praeter quam quod non desunt exempla in quibus duae illae vocales in diphthongum conflentur, ut videre est in Juvenale:

*Judaicum ediscunt et servant et metuunt jus*

(*Juv. Sat. XIV, 101*).

In illis omnibus quamvis nulla videatur diphthongus, vere tamen est. Faveto mihi, lector, et rem expediam.

De adjективis in *aicus* certe non inficies ea venire ex nominibus quorum radicale terminatur per *ae* ut ex *Chaldae-o Chalda-icus*, sicut ex *Hispan-o Hispan-icus*. Cur igitur non dicimus, quemadmo-

dum in ceteris, *Chaldae-icus*, nulla in radicali expuncta littera? Id commodum est quod nostram rem clarissime probat. Apud Latinos jam a tempore Actii poëtae, duae vocales ejusdem speciei, immediatae consecutae, scribi desitae sunt, et earum loco una pingebatur duplice vi seu quantitate longa praedita. Cum ex *Chaldae-o* exempli gratia, extrita *o*, facio adjectivum per terminationem *-icus*, *e* diphthongale, quod in pronuntiatione est *i*, offendit cum altera *i* initiali terminationis. Tum Latinorum more, remanente vi duarum illarum *ii*, scripta est tantum una. Cum tamen illa sit brevis, ut patet ex propositis exemplis, quid factum est de altera *i*, vel certe de ejusdem valore? Non est amissa, sed, conflata in pronuntiatione cum *a* praecedenti, diphthongus exsurgit. Hac de causa illa *a*, etiam subsequente *i* vocali, quantitate longa donatur. Sic quod scribimus *Chaldaicus*, scribi deberet vel *Chaldaeicus* vel *Chaldaicuſ*; prius ex consuetudine Latinorum scribendae diphthongi, posterius ex propria diphthongi pronuntiatione. Vide quid simile in *reicio*. Syllaba *re*, quod non ignoras, brevis est ex sese, sed in eo verbo longa fit, quamvis *reicio* scribatur. Qua vero de causa? Ex implicita nempe diphthongo cum *e* primae litterae *i*, extritae dumtaxat in scriptura, non in adaequata pronuntiatione. Ut concludam tandem: ratio expungendi *e* radicalis *Chaldae-i* in *Chaldaico*, *Hebraico*, *Judaico* et similibus adjectivis, non alia est quam pronuntiatio *ai* in diphthongo *ae*, cuius quidem *e* pronuntiata *i*, ante aliud *i* (-icus), supprimitur quidem in scriptura, sed in pronuntiatione diphthongum praeparat cum *a* praecedenti; imo nisi in pronuntiando duplex *i* pronuntiare conteris, diphthongum quidem facias, quod in illis syllabis communiter non licet.

Ut idem contingere probemus cum diphthongo *oe*, prius obiter saltem dicamus diphthongos *ai* et *oi* Graecorum, communiter certe at non semper, transire ad *ae* et *oe* in verbis a Latinis in suam linguam receptis, sed remanere *ai* et *oi* sequente eas alia vocali. Sic contingit in Maja (*Μαῖα*) et Troja (*Τροῖα*). In illis *i* intervocalica vim *j* consonantis obtinuit seu duplicitis *ii*, quarum altera protendit *a* vel *o*, diphthongum occultam perficiens, altera vero consonantis loco accipitur. Habetus igitur *Trojam* seu *Troiam*, quod debuerat scribi *Troeiam*. Ex *Troj-a* per radicale et terminationem *-icus* procedit nomen adjectivum *Troīcus*. Cur longa remanet syllaba *trō*? Nulla alia est ratio quam *e* seu *i* in scriptura amissum, sed in pronuntiatione perseverans et occultam constituens diphthongum, ut in adjectivis in *acus* supra diximus.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

(sequar)

Divinum Spiritum ut votis faveat pii  
animus adprecatur

Qualis revelans abdita gentium,  
Prunis sacratis, angelica manu,  
Arcana dicturi trementis  
Labra cremans luis Isaiae:  
Seu qualis implens pectora Davidis  
Flaminis amoris, das fidibus sacris  
Et gloriā Patris referre  
Et validos Geniti labores,  
Almo Creator lumine Spiritus  
Perfunde mentem, praecipe caelicos  
Hymnos, amantis solve linguam,  
Et timidum moderare plectrum!  
Tu Sacra Sion culmina visitans,  
Jesu sodales magna doces loqui,  
Incendio exustos amoris  
Quo faciem renovabis orbis.  
Tu dulce spirans nobile cor Patris  
Lojola reples... Me quoque, deprecor  
Ardore flagrantem, sub alis  
Protege purpureis, Columbal  
O fons amoris, Spiritus Ignifer;  
Suavis laboris Tu requies eris,  
Solacium in fletu precanti,  
Grataque temperies in aestu!  
Te prata quaeram caelica vindice;  
Te flante Christi splendida persequar  
Vestigia, ut cingi per aevum  
Martyrii merear corona...

Daniel RESTREPO, S. J

## CURSUS GYMNASTICUS

### In Georgica, I, 466-492

Hactenus, amice lector, in Vergili Bucolicis interpretandis immorati sumus; sex priores eclogas prae tuis oculis posui, ut suavitatem et ingenuitatem poëseos bucolicae degustares. Sed nunc ad altiora veniamus, ad Georgica nempe uberrimum florum poëticorum campum, ex quo vegetiores flores excerpere lubebit, conspectui tuo exhibendos. Tres et triginta annos natus erat Vergilius cum

hortatu Mecaenatis Georgicis exarandis operam contulit, quo tempore Octavianus bellum adversus Sextum Pompejum instauraverat; finem vero imposuit Neapolii, cum Augustus Tridatem et Phraatem de regno Parthiae contendentes sedavit, si fidem adhibere licet postremis versibus poëmatis, quorum autenticitatem, nescio qua ductus ratione neget Heine:

*«Ilo Vergilium me tempore dulcis alebat  
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti».*

Hoc poëma *Ascreum*, uti vocat Vergilius, omnibus numeris absolutum est, ac velut agricolarum epopoeia, monumentumque Latinae poëseos perfectissimum; quod etiam cetera poëmata didactica et Graeca et Latina longe superat.

Quod ad fontes attinet unde doctrinam operis hausit Mantuanus, praeter primae juventutis notiones, propriamque rerum experientiam, audiatur Wa-

geningen (1): «Satis adparet praecepta agriculturae Vergilium non e Graecis fontibus hausisse, sed contra eum fere semper cum Varrone convenire; verum studia operosa Graecorum poëtarum et in digressionibus et ornato poëtico, et fortasse etiam in regionibus Graecis designandis cernuntur».

Opus quattuor libros complectitur, quorum materia primis versibus continetur:

*Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram  
Vertere, Mecenas, ulmisque adjungere vites  
Conveniat: Quae cura boum, qui cultus habendus  
Sit pecori, atque apibus quanta experientia parcis...*

In primo libro pulcherrimam invenimus descriptionem prodigiorum quae

mortem Caesaris subsecuta sunt. Poëtam audiamus:

*Ille etiam (sol)extincto miseratus Caesare Romam  
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,  
Impiaque aeternam limuerunt saecula noctem.*

*Ille etiam: prodigia testatur Cicero* (Philip. 4. 10), referunt Horatius (Od. 1, 2), Tibullus (II, 5, vers. 71-78), Dion Cassius (45, 17), Ovidius (Met. 15, vers. 783 seq.) et Lucanus (Phars. 1,522). *Extincto Caesare:* Ovidius ante necem Caesaris, Lucanus vero post transitum Rubiconis prodigia accidisse memorant. *Miseratus: Imago pp̄t̄q̄ Sol, huma-*

nis sensibus indutus, miseretur ob calamitates quae Romae erant obvienturæ, ideoque *caput texit. Obscura nitidum:* De hoc solis pallore confer Plinius (Hist. lib. II, 80) Notetur in hoc fragm̄ento epitetorum redundantia; major tamen *licentia* poëtis quam ceteris scriptoribus conceditur. *Ferrugine:* Ferrugineus color est non rubiginosi qui-

(1) Verg. Georgica, pag. 184.

dem ferri, sed politi ac laevigati, postquam candefactum refrigescit. His autem color non admodum a violaceo est

diversus. *Impia saecula*: Impii homines, metonymia; locutio valde familiaris Lucrecio.

Tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti

Obscaenique canes importunaeque volucres

460

Signa dabant. Quoties Cyclopum effervere in agros

Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,

Flamarumque globus liquefactaque volvere saxa?

*Quamquam*: Transitio. «Particulæ concessivæ *quamquam*, etsi, tametsi, indicativo adhaerent, nisi obstat præceptum generale subjuntivi. *Quamquam* cum subjunctivo fere poëtarum est, aevique recentiorioris» (*Llobera*, núm. 308, I) *Importunaeque volucres*: Communis erat apud Romanos opinio, in cantibus et volatu avium futura prædicti. Sic ipse Cicero (1): «Eademque efficit in avibus divina mens, ut tunc huc, tunc illuc volent alites, tum in hac tum in illa parte se occultent, tum a dextra tum a sinistra parte canant». *Cyclopum*: Pro habitatoribus Siciliae, quia in ea insula referunt fuisse Cyclopes Vulcani

socii, in monte Aetna habitationem habentes. *Effervere*: Verbum archaicum pro *effervescere*, aut *effervesce*. *Vidimus undantem*: Horum versuum harmonia eruptionem imitatur Aetnae. Vergilius omnibus poëtis palmam arripuit in rebus naturae sono verborum describindis. In mentem veniunt illi pervulgati versus: *Quadrupedante putre sonitu quatit ungula campum* (*Aen.* VIII, 559); et *Tum ferri rigor atque argutæ laminae serræ* (*Georg.* I, 149); illi etiam de gravi labore Cyclopum *«Illi inter sese magna vi bracchia tollunt. In numerum versantque tenaci forcipe ferrum»*. (*Georg.* IV, 174-175).

Armorum sonitum toto Germania caelo

Audiit: insolitis tremuerunt motibus Alpes.

485

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes

Ingens, et simulacra modis pallentia miris

Visa sub obscurum noctis, pecudesque locutae,

Infandum! sistunt amnes, terraeque dehiscunt,

Et moestum illacrimat templis ebur, aeraque sudant.

490

*Germania audiit*: Pro Germani audierunt; metonymia rei quae continet pro re contenta. *Tremuerunt motibus Alpes*: Ovidius Romam tremoribus conculsam dicit: *Motamque tremoribus urbem*. *Vox quoque*: De hoc prodigo Ovidius: *Cantusque feruntur auditii sanctis et verba mirantia lucis*. *Ingens*: Hoc ephithetum initio versus positum, peculiarem habet vim, nam cogitatum quem lector in superiore verso completum existimabat, perficit. Par modo *Aen.* III, 631: «Jacuitque per antrum *Immensus*. Item IV, 310»: Et me-

dis properas aquilonibus ire per altum *Crudelis*, *Sub obscurum noctis*: *Sub obscuram noctem* magis latinum est. *Sub* cum accusativo temporis adhibetur de his quae generatim vicinitatem temporis significant, et est *paulo ante* aut *circiter*. Unde *sub obscurum noctis* idem ac *nocte incipiente*. Cum ablativo vero significat ad tempus intra quod aliquid evenit: *sub obscura nocte*, id est *media nocte*. *Et maestum illacrimat*: metaphoræ. *Ebur aeraque*: per synecdochem usurpantur pro sigillis et statuis deorum. (*sequar*)

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

(1) *De Divin.* I, 120.

## NOVA ET VETERA

### Diversa vasuum genera

Tempus hoc vernum ad aestatem vergens nos invitat ad aquas sive bibendas sive in lotionibus utendas. Quae quidem calamum arripienti de novis rebus et veteribus dicere conato ad mentem vasuum attulerunt varia genera. Ea hodie propono lectoribus ab capacioribus incipiens ad ad minora cum vinaria, tum etiam aquaria.




**Cantharus**

majoribus, capax, rotundum, ventriosum. Prope illud aderit saepe cupa (3), vas etiam vinarium, ligneum et amplum, eo tamen minus, in quo mustum e torculari excipitur et difunditur servandi causa. Cadus (4) aptus quoque est condendo servandoque vino, cuius figura turbinata fuit, ore admodum lato, quippe quod obturamento (5) ex subere (6) facto claudi solebat. Amphora, (7) aquaria erat

simul et vinaria, plerumque fictilis ita dicta quia utrinque prehendi et portari poterat ab αριφι utrinque et φέρω porto. Habebat utrinque ansas et fortasse etiam plures duabus. Interdum in superiore parte muniebatur tubulis (8) exstantibus per quos liquor effundebatur.


Sed jam ad ea procedo quae lavandi corporis gratia usu veniunt. Et in primis labrum (9) pro lavacro quod vas est in balineis




**Ureus**

grande latique oris, diductas habens oraset ad exteriorem partem in modum labiorum repandas. Polluvium (10) dicitur vas illud in quo pedes tantum lavamus. Trulleum (11) autem vasis est genus ad manus abluedas.


Nunc veniamus ad hortum ut alia vasa conspiciamus. Nasiterna (12) flores irrigamus et



**Nasiterna**



**Acetabula**




Vas

in diota (13) aquam in aliud tempus reservamus. Situlam (14) ad hauriendum aquam ex putea adhibemus et etiam urnam, (15) ansulis instructam. Neque erit abs re hic antliam (16) meminisse, machinam scilicet quae rota urceolis (17) munita aquam elevat ex puteo. Erat etiam apud Latinos hama, (18) cum deminutivo hamula, qua non solum aqua hauriretur sed incendia etiam restinguerentur. Sic loquitur Vossius: Plane sentio *hamas* fuisse vasa quibus aquam haurirent ad incendia restinguenda.

Vasa tandem in mensibus usitata juvat referre. Lagoena (19) vas fictile est plerumque vitreum et capax, collo instructum et ore angustiore. Cucum, (20) cuius deminutiva et cucumula et cucumella, vasis coquinarii est genus ex aere terrave factum. Urceus, (21) vocatur vas ansatum ad varios usus praesertim ad ministrandam aquam. Quidni memorem pultarium, (22) et ollam

(23) in quibus puls (24) concoquitur? Poculo (25) communiter bibitur. Ejus deminutivum pocillum, (26) vasculo applicaverim fictili cololatae sumenda destinato. Oenophorum (27) vas est ferendo vino in itinere aptum. Scyphus (28) vas potorum et in convivio et in sacris locum habens. Patera (29) poculi genus planum ac patens, cuius usus etiam in sacris plurimus erat. Cy-



Cyatrus

tus (3) est genus magni poculi quod in conviviis bibendo inserviebat. Cantharo (31) frequenter etiam bibimus.

(1) Bodega. (2) Tonel. (3) Cuba. (4) Barril. (5) Tapón. (6) Corcho. (7) Cántaro. (8) Caño. (9) Bañera. (10) Lavapiés. (11) Palangana. (12) Regadera. (13) Jarra. (14) Pogal. (15) Cazo. (16) Noria. (17) Arcaduz. (18) Bomba. (19) Botella. (20) Cafetera. (21) Jarro. (22) Puchero. (23) Olla. (24) Vianda. (25) Vaso. (26) Jicara. (27) Frasco. (28) Copá. (29) Taza. (30) Tazón. (31) Botijo.


EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.



Pocillum



Scyphus



Scaturige

## PER ORBEM

### ROMA HODIERNA PRO VETERE ROMA

seu Aedilicij et archaeologici labores in Urbe peracti

II *Labores Archaeologici.* —Labores sumptusque magni in Romanis reparandis monumentis impensi sunt. Quo tamen exitu? —Certe felicissimo. Nam postea quam antiquitatum exuviae effosae sunt et ad pristinum spendorem revocatae, memoria fastorum Romanorum renovata est et archaeologicus scientiae ardor atque studium mirum in modum crevit.

**Forum Caesari.**<sup>(1)</sup> Ante MCMXXX Fori Caeserei et diffusionem et constitutionem tantum perfunditorie archaeologi cognoscere potuerant: hodie vero, quamvis non nisi sextula pars effossa et recognita sit, tamen et situm et figuram et monumenta facile recomponere licet. En Fori Caesari Origo: Cum Romanum Forum incapax jam et constrictum videatur Julius Caesar aliud juxta clivum Capitolinum extruere decrevit metra quadrata supra VI diffusum. Factis nunc fossonibus nonnullae apparuerunt tabernae atque clivi argentarii strata. Clivus Argentarius iter erat quo Sacra via et Lata conjungebantur; Argentarii nomen audiens quia prope Basilicam Argentariam seu Nummariam procurrebat. Ibidem ruinae jacent plurimae et publicae foriae quorum lateres Hadriani temporis signationem ostendunt. Mussivum quoddam privatae domus apparuit, in qua

etiam pulchrum nymphaeum trium aedicularum, ipse perspicies ex quibus duae ad statuas, tertia ad fontem fuerat destinata. Praeterea inter mormoreas reliquias e muris Argenteae Basilicae provenientes, nonnulla restant graphita, quorum unum Vergiliani initium epitaphii «Mantua me genuit» signatum retinet. Sed omnibus hujus fori monumentis templum Veneris Genetricis maxime praestat<sup>(2)</sup> In eo restituendo eximii archaeologi pro viribus laborant. Difficultatem aliquam hoc templum offerebat: etenim elementa, forma, stilos imperatorum aetati a Trajano ad Dioclelianum certissime respondebant, tamen hoc templum tanto splendore praeditum in foro Caesari ab his imperatoribus extructum non videbatur. Recentissime vero reliquiae fastorum imperii Ostiae inventae (de quibus in Palaestra Lat. n.º 30, p. 45) testimonium validissimum afferunt. «Trajanum enim referunt dicasse templum Veneris in foro Caesari». Dr. Ricci qui annis praeteritis labores hujus fori moderatus est, serius resumendo fore nuntiavit.

**Forum Trajani.** Labores omnes in hoc foro peracti quattuor his titulis contineri possunt: 1) Basilica Ulpia, 2) Bibliotheca Ulpia. 3) Mercatus Trajani. 4) Templum Divi Trajani.

(1) Corrado Ricci, Il foro di Cesare, in «Capitolium» 1932, pp. 157-172, 365-390. Bendinelli, Il foro di Cesare, in «Il Mondo Classico», 1933, p. 68 —(2) Bendinelli, Il tempio di Venere Genetrici in «Il Mondo Classico», 1933, p. 271.

*Basilica Ulpia.*—Anno jam 1812, Napoleonis jussu, diu multumque in hac Basilica reparanda insudatum est; dein vero, operibus derelictis, adhuc inexplo- rata permansit; nunc tandem labores iterum studiosissime adsumpti sunt. Basilica Ulpia arte, pondere, ornatu, splendore fulgebat, quinque fornicibus ornabatur, metra circiter CXC protrahebatur. Hodie prope insignem columnam Trajanam plurimae, marmoreae columnae Basilicae instauratae restant.

*Bibliotheca Ulpia.*—Juxta Basilicam Ulpiam duae remanent aediculae quae ad bibliothecam Graecam et Latinam certius destinabantur. Bibliothecae eandem fere dispositionem servant et simplicitatem, ac notissimae et antiquissimae Ephesi et Tingardi Aediculae nihil aliud sunt atque aulae rectangulares eleganter sed sobrie dispositae frequentibus loculis ditatae ubi armaria cum foliis, tabulis, fasciculis locarentur. In hac Ulpia bibliotheca, teste Acciaresi, Senatus Consulta in elephantis conscripta reponebantur, unde postea elephantina audierunt.

*Mercatus Trajan.*<sup>(1)</sup>—Trajanus novum forum sub Quirinale extruere voluit sed ne brevioribus contineretur finibus atque ut foribus Augusti et Nervae planicie congrueret montem ad perpendiculum caedere jussit. At eum tunc sustinere oportuit; ideo Apollodorus architectus Trajani proposuit et moderatus est constructionem quinque ingentium emicyclorum gradatim progredientium, quibus et moles sustentaretur. Quantum hoc fuerit opus inscriptio quaedam Trajani columnae testatur his verbis: «Ad declrandam quantae altitudinis mons et locus

tantis operibus sit eggestus». Emicyclia superiora aulis abundant ubi nundinae celebabantur; emicyclum vero inferius eleganter dispositum scholas continebat quae in forum Trajanum aperiebantur. Itaque Trajanum forum, juxta Marrou,<sup>(2)</sup> Academiae Graecae vices gerebat quod quibusdam testimoniis roboratur. Etenim in declamationibus majoribus quae Quintiliano tribuuntur, haec legitur subscriptio: In schola fori Trajani; atque in epitaphio Bonifaci, grammatici christiani inscribitur: Trajani querent atria.

*Templum D. Trajani.*—Hadrianus Imperator magnum et amplium templum, elegans et faustum, quod Apollodorus Damascenus exerat, divo Trajano dicavit. Nunc sub Ecclesiis Nominis Mariae et Virginis Lauretanae sepultum manet. Paucae tantum reliquiae marmoreae effosae sunt ex quibus templi magnitudo et magnificentia dignosci potest.

*Forum Nervae.*—Forum erat artum et elongatum cum Augusti et Caesaris foro fines eosdem habens. Transitorium etiam appellabatur quia via erat frequentissima qua Romani e suburra in forum Romanum adibant. In medio foro templum Jani quadrifrontis apparebat, in extremo vero templum Minervae cuius ruinae saeculo XVI admirabiles jacebant, unde Paulus V frusta marmorea in Janiculum deportare praecepit ut fontem «Aqua Paulae» ibi luculentum extrueret. Nostris diebus nonnullae in foro suspensunt reliquiae marmoreae, templique delineatio recte appetit.

J. M. JIMÉNEZ, C. M. F.

Barbastri, Kal. Jan. a. 1934.

(1) G. Lugli, I mercati traianei, in «Dedalo», 1930, pp. 527-551.—(2) Marrou, La vie intellectuelle au forum de Trajan et au forum d'Auguste, in «Mélanges d'Archéologie et d'Histoire», 1932, pp. 93-110.

## Conloquium in Schola

### Labor omnia vincit

RUFINUS et CONSTANTIUS

- R. — *Quid ego studeam cum nihil in studio praeter fatigationem inveniam et incommoda?*
- C. — *At, homo; si tecum omnes sentirent quid jam de disciplinis?*
- R. — *Quid mihi cum disciplinis? Numquid sine his vivere non potes? Praeterea nonne recordaris etiam illud adagium: Quod natura non dat, Salmantica non praestat?*
- C. — *Atat, mi homo; clare perspicio te male hujusmodi adagium interpretatum esse, quippe quod, ut sonat, minus verum evadit, quamquam funditus verum utique est.*
- R. — *Explica, sodes, quandoquidem magistrum agis.*
- C. — *Id contendebam. Quod protulisti adagium falsum est si de arte (Salmantica) dixeris, naturam perficere non posse.*
- R. — *En, philosophus videris, sed nihil est quod frustra labores, mihi enim non persuadebis.*
- C. — *Uno igitur verbo rem patefaciam: quod tu habes nihil quam pigritia est, secus quid est quod alii minus te polentes intellectu studia alacriter prosequantur?*
- R. — *Trahit sua quemque voluptas.*
- C. — *Voluptas autem tua satis est humilis, cum facile homo mediocris esse patiaris.*
- R. — *Iterum iterumque tibi ojo vanum minime esse supra dictum effatum, cum saepe adeo vel in libris illud occurrat.*
- C. — *Ipse quoque tibi adsero iterum iterumque et vel quaterdecies aliud etiam effatum saepius accipi auribus, atque id varios non pati sensus, sicut tuum, et pariter esse luce meridiana clarissimus.*

### A quien trabaja Dios ayuda

RUFINO y CONSTANCIO

- R. — *¿Para qué estudiar cuando no hallo en el estudio más que cansancio y aburrimiento?*
- C. — *Pero hombre, si todos pensasen como V., ¿cómo andarían las ciencias?*
- R. — *Y a mí las ciencias ¿qué me importan? Acaso no se puede vivir sin ellas? Además, no te acuerdas de aquel adagio que dice: *Quod natura non dat Salmantica non praestat?**
- C. — *Pero, hombre; veo que no has interpretado bien ese dicho, pues tal como suena, no es del todo verdadero, aunque tenga su fondo de verdad.*
- R. — *Explícalo pues, ya que te las echas de maestro.*
- C. — *Pues a ello voy. Ese dicho que tu alegas es falso, en cuanto supone que el arte (Salmantica) no puede perfeccionar la naturaleza.*
- R. — *Toma, pareces un filósofo, pero no le des vueltas, que a mí no me convences.*
- C. — *Pues te lo voy a decir bien claro de una vez: es pereza lo que tu tienes, y si no ¿cómo se explica el que otros de menos alcances que tú, sigan contentos en sus estudios?*
- R. — *Va a gustos.*
- C. — *Pues vaya un gusto que tienes en quedarte hombre a medias.*
- R. — *Te digo y te repito que no ha de ser capricho mío el aforismo arriba dicho, cuando tan frecuentemente se lee aún en los libros.*
- C. — *Pues yo también te digo y te repito aunque sea catorce veces que es más oído el otro aforismo que no admite varios sentidos como el tuyo y que es a la vez claro más que la luz meridiana.*

- |  |  |
|--|--|
| R. — <i>Itane serio dicas ut mihi persuadere velis?</i>      | R. — Tan serio lo dices que aun querrás convencerme.                 |
| C. — <i>Id ego contendeo.</i>                                | C. — Eso pretendo.   |
| R. — <i>Ergo illud fac proferas si adeo clarum est.</i>      | R. — Pues suéltalo, si es tan claro.                                 |
| C. — <i>«Labor omnia vincit improbus»: plane ita est.</i>    | C. — Así es a secas: «labor omnia vincit improbus».                  |
| R. — <i>(Quadamtenus persuasus) Verumne fuerit?</i>          | R. — <i>(Medio convencido) ¿Si será verdad?</i>                      |
| C. — <i>Verum profecto est. idque plures norunt experti.</i> | C. — Es la verdad completa y muchos lo saben por propia experiencia. |
| R. — <i>Sane..., sed...</i>                                  | R. — Ya..., pero...  |
| C. — <i>Nihil est quod dubites: «labor omnia vincit».</i>    | C. — No hay peros que valgan: el trabajo lo vence todo.              |
| R. — <i>Do tandem manus; a te demum sum persuasus.</i>       | R. — Me rindo; al fin me has convencido.                             |
| C. — <i>Laus Deo!</i>  | C. — Bendito sea Dios! □   |

## Epistularum commercium

*Andreas Avenarius S. V. D. Emmanueli Jové C. M. F.*

Ante omnia tibi gratias ago, quod ad diei Andreani jucunditatem etiam tuarum litterarum tuaeque memoriae addidisti suavitatem. Et vere illo anni die sentio multorum me juvari amicorum sacris precibus, et haud dubium, quin, si ita esset diebus omnibus, paulatim in virtute aliquos facerem progressus. Tu igitur ne frustra laetitiam, quae, ut est missa translationis patroni mei, ex veneratione S. Andreae percipi solet, mihi sis gratulatus, in Hispaniam mittendos duxi quinque hymnos Apostoli, quos mense novembri per agros et silvas hujus regionis paulatim sum fabricatus. Qui si tibi videantur idonei, per occasionem etiam in Palaestram referre poteris; vel si minus idoneos judicaveris dono dari cupio, si qui ex tuis fratribus Andreas vocatur. Exspectaveram inter Santolinos hymnos afferri de patrono, praesertim cum vidissesem inter profana ejus opera Bossuetum gaudere, quod Andreac apostoli hymni brevi absolverentur. Nam id Santolius in quibusdam litteris Bossuetto nuntiaverat. Sed cum omnes hymnos ad manum haberem, frustra Andreana carmina quaesivi. Tum mihi non cunctandum statui diutius, sed aliquid versuum efficiendum, ut esset, quod cani posset, et miror quod tam brevi tempore sex hymnos concinnare potui. Si non sunt in praestantibus carminibus, cani possunt.

Quod in ea de Santolio elucubratiuncula, quam in Palaestra edi placuit, postulavi: ut qui thesaurum haberet, in lucem proferret et melodias adderet, si quas invenisset: hoc totum desiderium implevit bibliotheca Monacensis publica. Hymnorum tomo additae erant chorales notae, ut etiam Alcaicarum stropharum cantus proferri possit. Ex hymnis non paucos exscripsi, ut vix jam desiderem libros typicos. — Et jam suspicatus eram quae respondisti hortanti ut editionem adornares Santolii. O vere miseram condicionem rei nostrae pulcerrimae, si quidem tanta exempla Latinitatis cogimur relinquere in situ bibliothecarum, quod nemo sit, qui desideret! Sed quantum situm est in nobis, nos rem promeveamus hanc impigre! Et utinam mihi vacaret! Sed revera nescio, quid prius occipiam. Hebdomadae meae non sunt jam dierum septenum sed quinum, nam singulis sabbatis post scholas commigrandum est ad pastoralia auxilia: Peractis feriato tempore longis pedestribus et ferriviariis itineribus, locum teneo parochi aegrotantis, exerceo tribunal sacrum, verbum Dei ministro, pueros instruo, aegrotos visito. Placent haec; nam sunt sacerdotalia, sed absumunt illa temporis spatia, quibus alii utuntur ad suas res agendas, ad libros legendos ad scribendos articulos inserendos Palaestris et Almis Romis. Accedit negotium epistolare, et ipse dies nominalis oneravit mensam acervo epistularum et cartularum, quarum scriptores praesertim qui latine scripserunt, exspectant responsiones easque maturatas.

Vides mihi impraesentiarum otium omne praecisum. Sed spero subeunte anno posse scribere, quae in Palaestra edas. Utinam is annus omnibus nobis fortunetur divinitus! Est enim quod nos timeamus in Germania; et tu mihi videris nimium gloriari triumpho rei catholicae, si ephemeridibus nostris fides est. Optamus autem a Superis, ut omnes opitulentur pugnanti Ecclesiae. — Num his diebus etiam apud vos parum cautos mordent, quae repente ingruerunt frigora? Deo gratiae sunt agendae, quod saltem ante descensum thermometri terra tecta est nivibus. Nam si solum gelu altius adstringeretur, nulla jam confluenter aqua, id quod post aestatem siccum perincommodum esset. Diem tuum nominalem me vicissim ad altare aucturum et per diem saepius tibi persuade. Noster Emmanuel gratiarum te ornet abundantia et omne consilium tuum confirmet. Tibi Christi natalis pacem conciliet quam pastribus cecinere Caelites, novumque annum tibi et caris illis fratribus, qui tecum administrant commentarios Latinos, felicem et laetitiae refertum ominor.

Haec scribebam Tirschenreuthi, VIII Idus Decembres.

## Bibliographia

**Anselmi Cantuariensis, Liber «Cur Deus Homo».** Rec. S Schmitt, OSB.  
— Bonnae, Sumpt. P. Hanstein 1929.  
— *Flor. Patr. fc. 18.*

Alias Cantuariensem Archiepiscopum in PALAESTRA commemoravi, cum de operibus «Proslogion» et «Monologion» judicium protuli: nunc vero fasciculum «Cur Deus Homo» judicandum mihi proponitur, opus quidem inter cetera ejusdem auctoris non pauca facile princeps. Stus. Anselmus scholasticae doctrinae instaurator, ardenti fidei amore atque ingenio singulari praeditus, fidei dogmata lumine rationis naturali inlustare studens, plura reliquit scripta theologica ut notissimum principium «credo ut intellegam» maxime roboraret. Quae inter «Cur Deus Homo» preeprimis enitet. In eo rationem Incarnationis exponit atque necessitatem devincit, necnon de vicaria satisfactione agitamat doctrinam propugnat. Opus procedit dialogi instar simili ratione ac Plato et Cicero in nonnullis operibus philosophicis

Textum cum antiquissimis codicibus Dr. Schmitt componere curavit ut dignus esset qui in Florilegio Patristico recipetur. Qui disciplinis theologicis, Soteriologiae praesertim, dant operam hunc fasciculum sibi comparare current, neque eos unquam paenitebit.

**S. Thomae de Aquino, Quaestiones de Trinitate divina.** — Recensuit Bernhardus Geyer. Bonnae, sumptibus Petri Hanstein. (Florilegium Patristicum, fasc. XXXVII).

Consulto meritoque Dr. Geyer in Universitate Bonnensi Professor ordinarius, ad exercitationes pree primis academicas alumnorum sacrae Theologiae, eas quaestiones se legit fundamentales q. 27-32 primae partis Summae Theologicae, atque eas ad usum scientificae investigationis instruxit. Quamvis vero auctor fasciculi hujus textum Summae

Leoninæ magni faciat, tamen, «si multis», inquit, «in locis a me mutatus est, quod spero, correctus est. Tamen editionem stricto sensu criticam parare nec potui nec volui, quippe quae fundamento adhuc latiore indigeat». Codices autem a Dre. Geyer collati, sunt C1, C2, M, W, H. Consulendorum librorum elenches, atque adparatus criticus fasciculo adnexus, valde utilem et commodum textum hunc de Trinitate et faciunt et reddunt.

J. M.ª JIMÉNEZ, C. M. F.

**E. Bailly - Cicéron, Lettres familières.**  
I: Livres I-VI. — Classiques Garnier. — 6. Rue de Saints Pères, Paris.

Haud certe ignota est lectoribus «Nova collectio Classicorum Garnier», nam in nostro Commentario nonnulla opera ejusdem recensita prodierunt. Auctores Latinos et Graecos, aureae praesertim aetatis, non semel libraria Garnier in lucem edidit, «Novae enim Collectionis», ex qua plura sunt volumina publici juris jam facta, illa praecesserunt: «Bibliothèque latine-française» et «Chefs-d'oeuvres de la literature grecque».

Volumen quod sub manibus habemus sex priores libros epistularum Tullii ad familiares complectitur. Monita quae-dam peropportuna praemittit auctor in praefatione, significatque Tullianas litteras maximi esse momenti et ad ipsum Romanorum Oratorum principem sive in domesticis et privatis rebus sive in his quae de re publica agitabantur dignoscendum; et ad historiam illius aetatis illustrandam. Deinde quo modo apud Romanos litterae conficerentur et mitterentur, tradit; praincipias epistularum formas initio et fine appositae notas facit, et varias etiam certasque collectiones et manuscripta. In stabilendo textu E. Bailly sequitur Mueller et Sjögren et optimas Tyrrel et Purser editiones, et inter varias lectiones, inquit «Nous avons ac-

cepté les leçons les plus claires et qui nous ont paru les mieux justifiées par le contexte» — Versio et perspicuitate et in dicendo nitore et elegantia fulget quibus Gallica lingua pollet; jucundum sane Tullii epistulas perlegere cum in promptu est versio adeo fidelis ac verborum et sensuum auctoris justus interpres. — Hodie tamen vetustatis existimatores criticam textus desiderabunt in opere, et non nunquam ortographiae certam et constantem rationem

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

*P. Nolasc d'El Molar, Caputxi. — Sant Joan Crisòstom, «Del Sacerdoti».* — Biblioteca de «La Paraula Cristiana», Sèrie B, Vol. II. — Barcelona 1933. — 5 pessetes.

Nuper ephemeris «La Paraula Cristiana» nostro Catalaunico idiomate opera praecipua classica Christiana edere sumpsit. Secundum volumen hujus collectionis aureum libellum S. Johannis Chrysostomi, περὶ ἱερωσύνης prae oculis habemus. Versio Patris d'El Molar textu a Nairn edito et notis criticis ornato fulcitur, et saporem quemdam classicorum Catalaunicorum spirat. In introductione vitam Chrysostomi et aliqua speciatim circa librum vertendum continet compendiose (30 pag.). Notae ad calcem positae lectori non parvum afferent adjuvamentum, in explicanda mente S. Doctoris, qui multotiens non nisi per allusiones procedit.

RUDERINDUS PASTÓ, C. M. F.

**Dr. Balbino Santos Olivera, Giovanni Papini, «Los Operarios de la viña».** — Trad. de la segunda edición italiana. — 2.<sup>a</sup> ed. — 1933 — Ediciones «Fax». — Madrid.

Elegantiore, ut solet, stilo ac novitate formae neque eruditione exigua, Giovanni Papini hoc in volumine nonnullas notas personales profert, quas animo in sanctis atque artium excultoribus adverbit. Il enim homines, auctoris is sensus

est, uni aut admirabiles aut tolerabiles, vel quod Dei, vel quod imitatores operum Dei sint.

Hic autem liber, ex cordis necessitate quod in prologo liquet, elicitus, est tamquam fasciculus quidam virorum genit. Italorum potissimum, in eorumdem vero natura humana consideratorum. Haud exigua quidem triginta annorum in studio atque contemplatione artis experientia, quam Italus hic auctor prae se habet, meriti libri tibi non exiguum argumentum erit.

En vero, specimenis ergo, aliqua de quibus sermo instituitur argumenta: Christus Romanus, ubi triplicem quidem, neque parvi momenti, parallelismum reperies: Romae cum Hierosolyma; Caesaris cum Jesu Christo: Aeneadis Vergiliiane cum Actis Apostolorum. Vergilius autem quasi in prophetarum numero, ex quarta celeberrima ejus elegia, instituitur, rerum non immemor, quae de Pueri progenie orta fuere. Nonnulla sanctorum sequuntur documenta, ut S. Francisci Assisi, S. Ignatii; tum etiam Petrarcae, Michaëlis Angel... Nonnulla denique de Pio XI, Pontifice Maximo referuntur, memoriae quae penitus insident de dignissima.

SEBASTIANUS RIERA, C. M. F.

**Orazio, Satire ed Epistole Scelte e commentate da Ugo Enrico Paoli.** — Firenze, 1933.

Etiam hoc opusculum pro scholis confectum est a doctissimo professore Florentino Hugone H. Paoli, jam alii ex operibus noto. Idem dicendum ac de opere Dr. Cammelli. Non omnes satyras et epistulas commentatus est auctor libelli, sed optimas selegit et alumnis accomodata. Unaquaque introductione historica et critica praecedit, adnotationibus neque aequo longioribus neque brevioribus, quae textum nihilominus illustrant comitantibus.

H. MARTIJA, C. M. F.

## Exercitationes Scholares

### Pompejus Posidonium visitat.

(Ann. IV, n. 22). — I. Pompejus Posidonium, clarum philosophum audire cupisse narrare solebat, cum ex Syria redux Rhodum pervaderet. Voluit philosophum visere cum sibi nuntiatum esset eum gravi periculo affici, quod artubus laboraret. Cum igitur eum adisset et salutavisset honorificis verbis, aegre se ferre patefecit quod nullam ex eo sententiam audire potuisset. — «Tu vero poteris, ait ille, non enim committam ut corporis dolor efficiat te clarissimum virum me frustra adiisse». — Et narrabat Pompejus philosophum cubantem de hac re esse copiose graviterque locutum: «Nihil bonum esse, nisi quod esset honestum». His autem temporibus quae faces doloris ei magis admovebant, crebro ajebat: «Nihil agis, dolor; numquam te malum esse confitebor, quamvis sis molestus».

LUDOVICUS CORTINA PRIETO

*Seminarii Vallis-Dei apud Ovetum alumnus.*

II. Referre salebat Pompejus se cum Rhodum pervaderet ex Syria decadens, audire Posidonium, clarum philosophum cupuisse. Cum autem sibi nuntiatum esset acuto eum affici periculo quod artubus laboraret, eum tamen convenire voluit. Itaque cum eum adisset, honorificentissimis verbis prosecutus, aegre ferre patefecit quod sententias ejus audire non potuisset. Ille vero: «Tu quidem audies, inquit, non enim committam ut corporis dolor efficiat tantum ad me adiisse virum». Et narrabat Pompejus eum philosophum quamvis lecto teneretur, de hoc graviter copioseque diseruisse: «Nihil bonum esse quod non idem honestum». Ac temporibus illis quae faces doloris ei gravius admovebant frequenter ajebat: Nihil agis, dolor; etiam si molestus sis, malum te esse numquam fatebor».

ATILANUS RAIGADA

*In seminario Vallis-Dei apud Ovetum alumnus.*

### El tren y los caballos. (n. 30). —

En la estación de Segni un tren se detiene unos momentos. El primero de los cuatro caballos que pacen en el vecino campo increpa a la máquina con estas palabras: «Tú cruzas la llanura con gran altanería y soberbia y llevas en pos de ti con grande fuerza una cola de vagones allí a donde te arrastra el vapor de la caldera, a ti que no eres sino vil metal. Nuestra raza en cambio dotada de admirable instinto y valor ha realizado grandes hazañas. Díganlo sino los aguerridos escuadrones de Aquiles, Ciro, los soldados de Alejandro y el valor sublime de César. Por medio de grandes hombres hemos introducido la civilización en los pueblos bárbaros. Todo el mundo pregoná y alaba nuestro linaje». Respondióle la máquina de tren: «Otra cosa es lo que agrada hoy día a los pueblos... Lo que resulta para vosotros cuatro carga pesada durante un año, puedo yo hacerlo en menos de un día».

A nadie deben engreir tanto las proezas de los antepasados que llegue a menospreciar a los que actualmente son útiles a la patria.

F. ROMERO, C. M. P.

*In Gymnasio Barbartrensi alumnus.*

### MARIAI

Carmina celsa Marti  
simpliciter referre  
mens rapitur: sed alnum  
nomen adest Mariae.  
Dulcia facta, coetu  
Pieridum favente,  
mellifluis Hymetti  
cantum apibus suave,  
floribus atque lymphis  
dicere lene claris  
mens rapitur: sed alnum  
nomen adest Mariae.  
Suaviter ergo promam  
gutture cantilenam  
blandiloquam Mariae.

CAROLUS E. MESA, C. M. F

## Compositiones vertendae

### Definición del filósofo segúrn Pitágoras

Dícese que el rey Leonte (1) preguntó (2) en cierta ocasión a Pitágoras qué arte profesaba (3); mas él le respondió (4) que no conocía ninguna ciencia (5), sino que era filósofo. Admirado Leonte de la novedad del nombre, le preguntó (6) quiénes eran los filósofos y qué diferencia había entre éstos y los demás hombres. (7) Pitágoras le respondió que a su modo de entender (8), la vida de los hombres era semejante a un mercado de los que se reunen con ocasión de los grandes juegos, en medio del concurso de todos los griegos (9); pues así como allí unos van (10) para conquistar la gloria y celebridad (11) de una corona por sus ejercicios corporales (12), otros para comprar o vender con ganancia (13), y otros finalmente van a los juegos sólo para ver con

atención (14) qué se hace y cómo; de la misma manera nosotros, semejantes a los que vienen de una ciudad a un célebre (15) mercado, venidos a esta vida: unos servimos a la gloria, otros al dinero y son pocos (16) los que despreciando todas las cosas humanas, se apliquen (17) al estudio de la naturaleza. Y éstos son los que se llaman amantes (18) de la sabiduría o filósofos.

#### Notulae

- (1) Leo-ntis. — (2) Quaerere ex aliquo. — (3) Arte confidere. — (4) In infinitivo. — (5) Scire. — (6) In infinit. — (7) Reliqui. — (8) Sibi videri. — (9) Celeberitas... Graeciae. — (10) Petere. — (11) Nobilitas. — (12) Corporibus exercitatis. — (13) Quaestu et lucro. — (14) Studiose perspicere. — (15) In mercatus quandam celebritatem. — (16) Raros esse. — (17) Studiose intueri. — (18) Studiosus.

### Calamus scriptorius et machina scriptoria<sup>(1)</sup>

Calamus scriptorius his lacescit vocibus  
Recens repertam machinam scriptoriam:  
Vana laude tumes, o inventum ludicum (2).  
Praeclara per me sunt magnique ponderis  
Opera conscripta, quibus in aevum est gloria.  
Pili te faciunt (3) omnes, nam nulla sine me  
Usquam valere poterit tibi subscriptio (4).  
Plerumque das legendum vile et futile:  
Quin immo malignis interdum praebebas opem.  
Qui turpe volentes nomen celari suum,  
Per te nefanda ignoti in lucem deferunt.  
Reponit machina: Hoc tibi superbia  
Suadet proterva. Prostas (5) vili nummulo (6):  
Male fundis atramentum; post unum diem  
Inutilis projiceris. Me, ni plurimi  
Haberent omnes, non tanti(7) prorsus emerent.  
Valens consilio (8), et res sapienter aestimans,  
Inventum vetus atque novum justo pretio habet.

ROCCI, S. J.

#### Notulae

- (1) Melius dactylographum. Cf. «*Candidatum Latinum*», p. 20. — (2) Ridículo, fútil. — (3) Tener en nada, despreciar. — (4) Firma. — (5) Se te encuentra, se te compra. — (6) Ablativus pretii: a cual-

quier precio. — (8) El que tiene cordura, el que sobresale en ella.

Prof. Emmanuel Jové. C. M. F.  
Moderator

Typographia P. Camps Calmet. — Tarregae